

**1998-05-06 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Oculos Nostros’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***OCULOS NOSTROS***

**TEMPLUM DEO DICATUM IN HONOREM BMV SUB TITULO «VIRGA JESSE»  
IN DIOECESI HASSELETENSI AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Oculos Nostros ad Redemptoris Matrem attollentes, quae cunctis Christifidelibus tamquam exemplar virtutum praefulget, libenter quidem occasionem capimus Marialem cultum diffundendi atque sacras in toto orbe aedes nomine Virginis Mariae honestatas exornandi. Ideo, cum Venerabilis Frater Paulus Schruers Episcopus Hasseletensis, cleri populique vota interpretatus, rogaverit ut templum Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis sub titulo «Virga Jesse» in dioecesi Hasseletensi situm, ad dignitatem Basilicae minoris eveheretur, petitioni libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra illa aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum «De titulo Basilicae minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*